HECTORIS GOTHOFR. MASII,
SS Theol. D. & Pr P. in Universit. Havn.

DISPUTATIO THEOLOGICA DE DOCTRINA DÆMONIORUM

Ex
1. Timoth. IV. v. 1. & seq.
In abstinentiâ ab esu carnis potissimùm monstratâ.
Qvam
RESPONDENTE
M. SEVERINO WINTHERO,
Publicæ Disquisitioni exposuit
ad 3. April. 1699.

WITTEBERGÆ, Sumptibus ANDREÆ HÆBERI.
Anno 1709.

7440 W520
A. 51201

PRÆLOQVIUM.

Acrum hoc tempus esse memoriæ acerbissimæ passionis Domini nostri JESU CHRISTI, nemo est qui ignorat, sed quàm multis modis nomen crucifixi inter eos ipsos profanetur, qui tanti beneficii recordationem crepant, non est nostri instituti qverelis justis quidem illis, at parùm profuturis complecti. Illud saltem memorare juvat, cùm Ecclesia Romana vel monopolium quoddam sibi vendicet passionis Christi memoriam, nullam in toto orbe Ecclesiam particularem esse, quæ doctrinam adeò salutarem in Theoriâ magis obfuscet, in praxi magis pervertat. Quid enim magis derogat virtuti passionis dominicæ, quam illa Papistarum hypothesis: *non solâ Christi satisfactione justificationem nostram absolvi, sed nostris quoque satisfactionibus partim in hoc partim in futuro seculo opus esse.* Nonne injuria in Christi meritum hypothesis est: *Merita Sanctorum nobis ad gratiam quoque & salutem consequendam prodesse?* Nonne virtutem & efficaciam intercessionis Christi, qantum in ipsis est, enervant, qui *alios mediatores atque intercessores è Sanctorum ordine ac numero arcessunt?* Quid verò de sacrificio cruento Missatico in sacrificium crucis injurio dicam? quid de negatâ *communicatione idiomatum?* quæ nisi supponatur, neque nunc redemti sumus. Quid de hypothesi Scholasticorum: *DEUM absoluta potentiâ potuisse lapsum Humano generi condonare?* Hæc atque alia plurima ita comparata sunt, ut doctrinam de merito Christi, ejus efficaciâ, pondere & unitate nimium quantum labefactent, totumque opus mediatorium evertant. Sed ea jam fileri patior, neque ad invidiam exaggerabo, quæ in *praxi* pontificiâ occurrunt superstitiosa ac analogiæ fidei contraria, & hoc ipso tempore quadragesimali pias mentes meritò offendunt. Unum hoc dixisse sufficiat, ipsum *Jejunium Quadragesimale*, de quo tantopere gloriantur, & de cujus necessitate ac merito tam confidenter loqui consueverunt, manifestam esse *Anti-Christi* notam. Desperata verò Papatus causa est, si ipsa sanctitatis professio profanum prodit Anti-Christi regnum? Id verò ex Apostoli verbis breviter & perspicuè sum ostensurus. *Aspira cæptis Jova benigne meis!*

SECTIO I.

(1) *Locus Apostoli cum versionibus quibusdam.* (2) *Observationes quædam Philologicæ.* (3) *Locum hunc esse perspicuum.* (4) *Dignum Ecclesiæ ministro esse, ut sensum hujus loci exponat, juxta versum 6.* (5) *Notas Anti-Christi clarissimas in hoc textu latere, quæ eruntur;* 1. *Apostasia magna.* 2. *Hypocrisis.* 3. *Jactatio miraculorum.* 4. *Interdictum de abstinentia à carne.* 5. *prohibitio matrimonii.* (6) *Has notas omnes convenire Ecclesiæ Romanæ, unde concluditur illam adhærere* διδασκαλίαις δαιμονίων, *doctrinis dæmoniorum; & ostenditur fortissimè hoc telo feriri aulam Vaticanam; & jejunium quadragesimale Pontificiorum non suspectum modò reddi, sed planè damnari.*

§. I.

LOcus, quem expendere juvat, ita legitur. 1. Timoth. IV. v. 1. seq. Τὸ δὲ πνεῦμα ῥητῶς λέγει, ὅτι ἐν ὑστέροις καιροῖς ἀποστήσονταί τινες τῆς πίστεως, προσέχοντες πνεύμασι πλάνοις καὶ διδασκαλίαις δαιμονίων, ἐν ὑποκρίσει ψευδολόγων, κεκαυτηριασμένων τὴν ἰδίαν συνείδησιν, κωλυόντων γαμεῖν, ἀπέχεσθαι βρωμάτων, ἃ ὁ θεὸς ἔκτισεν εἰς μετάλημψιν μετὰ εὐχαριστίας τοῖς πιστοῖς καὶ ἐπεγνωκόσι τὴν ἀλήθειαν. &c. *Vulgatus ita reddit*: Spiritus autem manifestè dicit, quia in novissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes Spiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum; in hypocrisi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium suam conscientiam, prohibentium nubere, abstinere à cibis, quos DEus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus & iis qui cognoverunt veritatem, &c. *Anglicana versio sic habet*: And the Spirit manifesty saith, that in the last times certaine shal depart from the faith attending to Spirits of errour, end doctrines of eiuels, speaking lies in hypocrisie, and hauing their conscience seared, Forbidding to marrie, to abstaine meates which God created to receive with thankes giuing fort the faithful, and them that have knowne the truth. *Gallica versio sic legitur*: Or l'esprit dit notamment qu'es derniers temps quelques uns se revolteront de la foy, s' adonnans aux esprits abuseurs, & aux doctrines des Diables enseignans des mensonges par hypocrisie, estant cauterisces en leur propre conscience, defen-

defendant de ſe marier, *commandant* de s' abſtenir des viandes que Dieu à crées pour les fidels, & pour ceux qui ont connu la verité pour en uſer avec action de praces. Habet hæc verſio quæ Exemplar Charentonianum ſequitur illud peculiare, quòd ſenſum græci idiomatis impleat per vocem *commandant*. Germanicæ & Danicæ Verſiones à Vulgatâ non diſcrepant, quibus adducendis ſuperſedemus.

§. II.

Difficultate aliàs hic locus caret, ſi verba ſenſumque ſpectes, cùm tamen adverſarii nodum in ſcirpo quærant, breves quasdam notas philologicas annectere juvat. I. Τὸ δὲ πνεῦμα, &c. *Spiritus Sanctus* indubiè intelligitur. Quod probat 1. articulus notanter additus. 2. Quia futuri certò præſcius. 3. Quia ſolus Paulo dictavit proponenda. 4. Quia res ſanctæ non niſi à Spiritu Sancto proficiſci poſſunt. II. ῥητως λέγει. non igitur obſcurè aut involutè, ſed apertè, non per ambages, ſed planè, non per umbras aut figuras, ſed propriè, non per ænigmata, ſed clarè & perſpicuè. III. λέγει loquitur vel annunciat. Cui verò inquis & ubi? ipſi Paulo & hoc ipſo loco, quamvis & alibi. ut 2. Theſſ. 2 v. 8. ſeqq nullibi tamen quàm hîc clariùs. Ad locum *Danielis XI. v. 36. ſeqq.*, reſpici *Medus* putat, ubi hæc ipſa clariſſimè Spiritus doceat, ſed cur hunc ipſum locum deſeramus, cauſam non video. IV. ἐν ὑστέροις καιροῖς. in *noviſſimis temporibus* quæ ab adventu Chriſti incipiunt in genere, ſed in ultimis temporibus in genere dictis, extremam hîc ætatem innui patet. V. διδασκαλίας Δαιμονίων communiter docti interpretantur de falſis doctrinis Mali Dæmonis aſtu inventis ac divulgatis. Et verſiones hîc etiam reſpondent ſibi invicem, ut Δαιμόνιον malo ſenſu ſumatur. Peculiaris verò eſt ſententia *Medi Angli*, per Δαιμόνια hîc ſanctos intelligi, & per Διδασκαλίαν Δαιμονίων, *cultum ſanctorum, imaginum* &c. vel uno verbo, *idololatriam Pontificiam*, quam in cultu Sanctorum atque imaginum committunt. Clariſſimus Nortonus Knatchbul in ſuis animadverſ. in Nov. Teſt. non modò illam *Medi* ſui ſententiam avidè amplectitur, ſed inſuper probat *Dæmonia* legitimè reddi *idola*, ſic *Pſalm. 96. v. 5.* quæ *idola* dicuntur, δαιμόνια reddi in Paraph. Chald. &c. ſic & *Clementem Alexandr.* in Admonit. ad Gent. Εἰδωλα γὰρ ἐκῶτως, αὐτὸς καὶ δαίμονας ὑμεῖς αὐτοὶ κεκλήκατε.

Similiter eos vos ipsi idola & Dæmones vocastis. VI. κωλυόντων γαμεῖν, ἀπέχεσθαι βρωμάτων. *Prohibentium nubere, abstinere à cibis.* Modum omnem hîc solvit *Scholiastes Græcus*, nempe in his verbis esse nullum σφάλμα καλλιγραφικὸν, ut quidam volunt, nec ullum παράπτωμα Ἀποστολικὸν, negligentiam Apostoliam, sed rectè & propriè dictum per verum & genuinum Atticismum, si quidem *Attici* verbis per se negantibus negationem addere consueverunt. Sic ἐκώλυε μὴ κλέπτειν, prohibuit furari, &c. Sic κωλυόντων ἀπέχεσθαι βρωμάτων. prohibentium cibos; vel jubentium abstinere à cibis, &c. Similes loquendi modos è N. T. produxit *Dallæus de Jejun. pag. 98.* ut *1. Tim. 2. v. 12. 1. Cor. 14. v. 34.* Miror verò non incidisse viro doctissimo locum. *1. Joh. 2. v. 22.* ubi idem *Atticismus* manifestus est. conf. *Budæus in comment. Lingv. Græc. pag. 935.*

§. III.

Perspicum esse hunc locum non tantum *perspicuitate* generali, (quâ tota gaudet Scriptura S. saltem in credendis necessariis) sed & *perspicuitate speciali, seu comparativâ*; respectu aliorum locorum, graduum claritatis, &c. indicat ipsa Spiritus S. assertio: Τὸ δὲ πνεῦμα ῥητῶς λέγει. Non igitur (1) per prolixas consequentias indagandus hîc est Spiritus S. scopus, sed κατὰ τὸ ῥητὸν inveniendus. (2) neque cogitandum de sensu mystico vel accommodatitio, cum ad sensum literalem nos ipse Spiritus S. hîc ducat. Unde & (3) illa particula adversativa, τὸ δὲ πνεῦμα, &c. non frustra ponitur, sed digitum intendit ad versum antecedentem & capitis tertii ultimum, ubi de mysterio omnium confessione magno agitur, quasi dicat, in istis mysteriis quidem ad rationem & sensus externos provocare non licer, sed hîc ubi quæstio est de facto aliquo, & notis Anti-Christi externis, Spiritus S. ῥητῶς λέγει. Quamvis & illa adversativa referri queat ad verba antecedentia, de *præconio verbi & fide*, qua Christus in mundo receptus fuerit, quasi dicat: sed ab illa fide simplici quidam deficient, & erroribus Anti-Christianis adhærebunt. (4) ad intelligendum igitur hujus loci sensum; opus non esse patet, ut Pontificis Romani interpretationem exspectemus, cum ipse hîc etiam Spiritus S. publicè profiteatur, se ῥητῶς loqui. (5) neque verò & nobis persvaderi patimur, ullum hominem qualis etiam quantusque

sit

ſit, clariùs loqui poſſe, quàm Spiritus S. locutus eſt; licèt magna hominum congregatio in conciliis quicquam definiat ac decernat. (6) patet verò ex fine & intentione Spiritus S., omnia hîc clara atque perſpicua eſſe, ſiquidem eum in finem prædicta ſunt, ut ab erroribus Anti-Chriſti ſibi fideles caveant. (7) Hæc ipſa tamen perſpicuitas, ut in aliis Scripturæ locis, *ordinata* eſt, non excludens media Hermeneutica; quamvis ſit *interna & irreſragabilis*. ut loqui amat Theologorum Schola, non eſt tamen *irreſtibilis*; Nam ut ad Solis ſplendorem alii cœcutiunt, alii oculos planè claudunt, ita ad Scripturæ claritatem ſe gerunt illi mortalium qui præjudiciis imbuti non niſi ἧσον φυλάττειν cupiunt. Unde nec mirum eſt, loci hujus claritatem non obſtare, quò minus illi varias nebulas affundere Pontificii laborent, quas tamen omnes facilè à Sole veritatis diſpelli, infra patebit.

§. IV.

Dignum verò Eccleſiæ miniſtro eſt, ut identidem Anti-Chriſti notas & τὰς διδασκαλίας δαιμονίων publicè perſtringat, unde etiam Apoſtolus verſu 6. ſtatim addit: ταῦτα ὑποτίθεμενος τοῖς ἀδελφοῖς, καλὸς ἔσῃ διάκονος Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐντρεφόμενος τοῖς λόγοις τῆς πίστεως καὶ τῆς καλῆς διδασκαλίας ᾗ παρηκολούθηκας. Quod verò hîc Timotheo injungitur, omnibus Eccleſiæ miniſtris atq; doctoribus ſimul præceptum eſt. Unde morem gerentes Spiritui Sancto non curamus (1) *Pſeudo-Politicos*, *Syncretiſtas*, & id genus hominum, quibus intempeſtiva ſemper ac inviſa eſt illa veritatis profeſſio, quæ Anti-Chriſti ſobolem acriùs pungere videtur; mallent enim moderata iniri conſilia, palliari errores Vaticanos, pacis ſtudium foveri potius, quàm bellum indici. (2) neq; curamus adverſarios, qui *crimen læſæ majeſtatis* interpretantur, ſi quis Pontificem Rom. Antichriſtum eſſe pronunciet, negamus enim injuriam eſſe illam doctrinam, quam ipſe Spiritus Sanctus tam clarè expoſuit docerique publicè juſſit. Neque verò in Imperatorem, Reges atque Principes Pontificios ullam hinc injuriam redundare, ſæpiùs à noſtratibus oſtenſum eſt. Videatur præprimis *Defenſio Pupillæ fol. 697. Hulſem. in Breviar. cap. ult.* & qui toto ferè libro id agit *B. Nicolaus Hunnius* in libro, quem inſcripſit: *Innocentia Lutheranorum*. (3) Neque verò tantopere nobis

bis hic ſuccenſere poteſt Eccleſia Gallicana, in quâ plus vice ſimplici audita vox eſt: *Papam Romanum eſſe Anti-Chriſtum.* Nota eſt Hiſtoria *Philippi Pulchri, & Ludovici XII.* neque vetutaſte collapſa eſt memoria monetæ: *perdam Babylonis arcem.* Cum ipſi etiam Monachi & Jeſuitæ ſibi mutuò Anti Chriſti notas objiciant, ſaltem iſtâ *Cadmæ â pugna* efficiunt, ut tantopere invidiam aſſerti non extimeſcamus. In genere materiam de Antichriſto ſtudioſè perſecuti ſunt inter noſtrates *Gerhardus, Brochmannus, Heilbrunnerus in Papatu Acatholico, Balduinus in Diatribe de Anti-Chriſto, Danhauerus in Anti-Chriſtoſophia,* ne quid de *Syſtematicis* dicamus, qui omnium manibus teruntur. Nos propius ad loci explicationum accedimus.

§. V.

Videamus igitur notas illas, quibus dignoſci poteſt Anti-Chriſti cœtus ab omnibus aliis ſectis in toto terrarum orbe, ac unde convinci clariſſimè poſſit illius commercii cum πνεύμασι πλάνοις καὶ διδασκαλίαις δαιμονίων. Cum enim Spiritus S. ſe clarè & apertè loqui profiteatur, opus erat, ut notas etiam manifeſtas externas, quæ in oculos ſenſusq; hominum incurrerent, quærentibus ſuppeditaret. Poterat quis enim ita Apoſtolum alloqui. Si cavere ſibi fideles ab illâ *Apoſtaſiâ magnâ & doctrinâ Dæmoniorum* debeant, quam ultimis temporibus futuram prædicis, oſtende nobis externum characterem ejus cohortis Apoſtaticæ, quo ab aliis hæreſibus diſtingui tuto ac infallibiliter poſſit. Annuit igitur Apoſtolus & ſequentia κεφάλαια ponit. 1. *Hypocriſin ſingularem* in iſta ſectâ obſervabitis, quæ externæ ſanctitatis ſpeciem mentita, plurimis imponet ſimplicioribus, vos autem eò magis cavete; nam & 2. ψευδολογίας eſſe reperietis eò quòd mendacia ſua Scripturæ opponunt, & prodigia atq; ſigna ficta falſò credita publicè oſtentant. Neq; verò ſi centies illa detegantur mendacia, errorum eos pudebit, ſiquidem (3) *eorum conſcientia* velut cautere inuſta ſenſum omnem amiſit. Utq; propiùs illos cognoſcatis (4) *prohibitio matrimonii* inter ipſorum dogmata non poſtremo loco referetur & ne quid deſit accuratæ & perfectæ cognitioni hujus ſectæ, (5) addent *interdictum* de non guſtandâ carne certis temporibus cum tamen omne diſcrimen ciborum in N. T. ſublatum

ſit;

sit, quâ de re jam tum monui Coloss. 2. v. 16. & ne forte miremini ejusmodi errores tam latè serpere posse, cogitandum vobis denuò est quod dixi, sanctitatis larvâ per ingentem hypocrisin eos involvi atque vestiri.

§. VI.

Notatu autem dignum est, (1) Apostolum non loqui de hominibus extra Ecclesiam, sed in Ecclesiâ generali existentibus, (2) non loqui de Apostasiâ totali quoad omnes fidei Christianæ partes qualem Pontifici intelligunt, sed magna & insigni. Nam si omnem fidei doctrinam illa secta penitus abjuraret, & apertè Christianæ Religioni sese opponeret, non posset *illâ Hypocrisi* cujus mentionem facit, inescare mortalium animos. Aliàs defectio Ecclesiæ Romanæ eam latitudinem errorum involuit, ut totum Fidei Systema pervagetur, & hoc sensu â nostratibus universalis dici consuêrit. Vid. B. Scherz. Syst. p. 853. (3) Addit Apostolus circumstantiam temporis, ἐν ὑστέροις καιροῖς, *postremis temporibus*, quæ licèt jam tempore Apostolorum incipiant, dubium tamen non est, quin quò magis seculi finis appropinquat, eò magis *extrema tempora* dici possint, sed nec hîc est narratio rerum præsentium sed futurarum prædictio. (4) notandum & hoc; omnes illas notas non esse seorsim sed complexè sumendas, ut judicium infallibile ferri possit, quænam sit illa secta, quam prædixit Apostolus adhæsuram πνεύμασι πλάνοις καὶ διδασκαλίαις δαιμονίων.

§. VII.

Perlustremus igitur omnes Christianæ Religionis sectas, quæ ultimis hisce Temporibus in toto terrarum orbe vigent, & facilè animadvertemus, non dari aliam, præter Ecclesiam Romanam, ad quam omnes notæ apprimè quadrant, ita ut vivis coloribus depicta hîc esse videatur; quod per partes jam breviter ostendam. (1) *Ecclesiæ Romanæ competit illa Apostasia magna*, de quâ & 2. *Thessal.* 2. 3. Eandem hîc enim intelligi, de qua loquitur Apostolus 1. *Tim.* 4. v. 1. etiam adversarii nonnulli concedunt. Videatur *Espencæus in l. c. Timoth. p. 54. Oper.* Estq; Apostasia κατ' ἐξοχὴν, & verè magna, sive qualitatem spectes sive quantitatem cùm hominum tum dogmatum Supersedemus illâ demonstratione per partes, quam neq; hæc charta

capit, & alibi millies & integris libris complexi sunt nostrates; Videatur præprimis *B. Hunnii Apostasia Ecclesiæ Romanæ*, *Heilbrunneri Papatus Acatholicus Germanicè scriptus*, *ejusque Apologia*. *B. Gerhardi Confessio Catholica*. *Bebelii Antiquitates Evangelicæ*. *Chemnitius* & *Mentzerus*, *aliique*. (2) *Hypocrisin* verò in Ecclesiâ Romanâ non nostri tantùm accusant, sed ipsa ejus membra sibi mutuò objiciunt. Et sanè quis non videt ad externam sanctitatis speciem composita hîc omnia esse? Hunc finem intendit *Cœlibatus clericorum*, *Vita monastica*, *mendicantium* Monachorum voluntaria paupertas, mortificationum genera varia, flagellationes spontaneæ, jejunia &c. Legat aliquis Bellarmin. lib. 2. de B. O. cap. 2. & 4. & mirabitur ejus ἐν ὑποκρίσει ψευδολογίαν. Ipse Pontifex, dum servus servorum appellari gestit, dominium in Reges ac principes tamen affectans, Hypocrisin insignem prodit. *Videatur B. Hülsemannus Brev. cap. ult. §. 12.* (3) ψευδολογίαν *Ecclesiæ Romanæ* facile etiam animadvertit, qui *jactationem miraculorum* perpendit, tantam ac tam frequentem, ut non facile locus aliquis occurrat, quin miraculum ibi in ligno, ære, imagine, statuâ factum venditetur. Nulla certè secta de miraculis ita gloriatur ac Ecclesia Romana, adeò ut inter Ecclesiæ suæ notas hanc gloriam reputet *Bellarmin. lib. 4. de not. Eccles. cap. 14.* immemor, hanc esse Anti-Christi notam. 2. *Thess.* 2. *v.* 9 10. Detecta sæpius sunt illa mendacia â tempore reformationis, atque hinc effectum est, ut ubi Evangelicis mixti sunt Pontificii, rariùs aut nunquam, prodigia contigisse affirment; E locis potius diffitis ex India Orientali & Occidentali miraculorum gloriam arcessunt, scilicet ut tutius eat mendacium, quod cum teste domestico viam emetitur. Accidit tamen etiam nunc quandoque, ut impudentiæ metus cedat, & fraudis non detegendæ confidentia locum miraculis faciat, ut aliquot abhinc lustris docuit fabula *Marci d' Aviano* falsitatis etiam publice convicta à *Scheiblero* aliisque. Adeò frontem perfricuere Monachi, ut nihil intentatum relinquant, postquam illud axioma obtinuit: *Omnia esse licita*, *modò salus Ecclesiæ Romanæ intendatur*; Quibus principiis superstructa etiam est illa Jesuitarum praxis, quam alii quoque ordines Pontificii accusant, videantur *Vargas Stratagemata Jesuit.* *Montaltii litera provinciales*,

les, le cabinet de Jesuites &c. ut alios plures taceamus. (4) *Cauteriatam conscientiam* de qua Apostolus h. l. mentionem injicit, & hæc ipsa produnt, quæ jam enumeravimus, & tot persecutionum genera, quibus orthodoxos affligunt, quæ cum ipsa humanitatis jura lædant, proficisci certe non possunt nisi ab iis, qui conscientiam habent velut cautere inustam sensuque omni destitutam. (6) *Prohibitio matrimonii* in Ecclesia Romanâ non consuetudinis sed legis inviolabilis vim obtinet, ut videas in hanc sectam vere quadrare, quod Theodoretus ad h. l. observat: *Eos*, inquiens, *accusat, qui lege latâ cœlibatum sequi compellunt.* Frustra quis obvertat, eos hic tantùm accusari, qui matrimonio in genere omnibus interdicunt, non verò qui certis tantùm hominibus prohibent: quæ enim secta matrimonio omnibus interdiceret, quin vel totum genus humanũ tollere vellet, quod absurdum, vel promiscuæ libidini locum facere, quod cum illa *hypocrisi* memoratâ ab Apostolo non consistit. Imò, ut prohibitio cibi non infert abstinentiam ab omni materiâ esculentâ, sed à carne, adeoq; ad certum cibi genus restringitur, ita prohibitio matrimonii ad certum genus hominum nempe *Clericos* restringitur. Eos verò *liberè* vovere, gratis excipitur: quicquid enim ordini toti lege injunctum est, necessariò à singulis requiritur. Atqui cœlibatus, &c. Ergò. Tandem (6) *Interdictum de abstinentiâ ab esu carnis* manifeste genium Anti Christi prodit, ut mirum sit rubore non suffundi Pontificios hæc verba legentes. Non modò enim Monachi Carthusiani ab esu carnis semper abstinere jubentur, sed & tempore Quadragesimali omnes in universum Christiani, ut & singulis diebus Veneris ac Sabbathi, nisi forte dispensationem Sacerdotis pretio sibi comparârit. Et ridiculum sane est, cùm jejunium sit abstinentia ab omni cibo, visum tamen adversariis esse, jejunii nomen abstinentiæ à carne, ovis, lacte &c. convenire, & si quis maxime ad satietatem piscibus, vino, fructibus repletus sit, jejunum tamen esse, quod ipsum jejunum est, & judice *Theodulpho Aurelianensi* ab omni ratione semotum. Ita enim ille *cap.* 40. *Tom.* 2. *conc. Gall.* 2. *p.* 22. *A caseo lacte butyro & ovis abstinere Et Non Jejunare, dementissimum est, & omni ratione semotum.* Hanc verò dementiam alii Romanæ Ecclesiæ objiciant, nobis sufficerit ostendisse, in hac ipsa abstinentiâ à carne notam An-

ti-Christi manifestam latere. Observatu dignum est, soli Sectæ Romanæ proprium esse, ut jejunium in abstinentiâ â solis carnibus, ovis & lacte constituat, non Græci, non Armeni, non Æthiopes, non Christiani alii, quod ê *Durando Ration. l. VI. cap. 7.* idem fatente notare jubet *B. Scherzer. L.* de *Anti-Christ. p. 862.* Nobis verò jam tale nascitur argumentum. Q. Secta habet notas Anti Christi manifestas, illa citra injuriam Anti-Christiana dici potest. Atqui secta Romana habet notas Anti-Christi manifestas. Ergò. Minor jam per partes ostensa est, neque indiget longâ probatione, cum res ipsa loquatur, factumq; prohibitionis matrimonii & certorum ciborum omnium oculis obvium sit. Mittamus reliqua, & de solo *jejunio Pontificio* paulo uberius agamus, in id potissimum intenti, ut *Effugia eorundem* circa hunc Apostoli locum perlustremus, ostensuri nullis artibus, nullâ fraude ac cavillatione nostrum hunc ictum declinari posse.

SECTIO II.

Complectitur Responsionem ad Exceptiones Pontificias.

Exceptio. I. adversariorum Sophistica est, & è voce κωλυόντων ἀπέχεσθαι, &c. derivatur. Exceptio. II. damnari hîc Pythagoricos. III. Damnari hæreticos veteres, qui cibos ut per se immundos prohibuerunt, præprimis Marcionitas, Encratitas & Manichæos. IV. Non omnem prohibitionem carnis esse illegitimam. DEUM ipsum in V. T. certas species prohibuisse. Medicos sæpe carnis usu interdicere, neque tamen doctrinam Dæmoniorum fovere. V. Intentionem Ecclesiæ Romanæ piam esse, ipsum ergò factum omni labe carere. VI. Jejunium Quadragesimale in Scripturâ & Antiquitate fundari; Idque Exemplis & dicto probari posse. VII. Dejectis his exceptionibus repetitur orthodoxa veritas.

§. I.

PRohibitio *Cibi* tanquam manifesta Anti-Christi nota & Doctrinæ Diabolicæ pars è loco Apostolico meritò arguitur. De illa jam potissimum missis aliis Anti-Christi notis agemus, & conveni-

venienter ſanè ſcopo Apoſtoli quippe qui hanc ſolam ſpeciem dogmatis Diabolici refellit verſu 3. 4. & 5. cur alteram ſpeciem (prohibitionem conjugii) non pari modo hîc refutârit Apoſtolus, nonnulli Interpretes quærunt; & reſpondet *Danæus*, quia illud malum, nempe Interdictum conjugii nondum vicinum eſſe præviderit; *Hyperius* addit, tam craſſum eſſe errorem, ut refutatione indignus ſit tanquam naturæ adverſus; *Crocius*, ſufficere ait, quod alibi ab Apoſtolo perſtringatur: ut, 1. *Corinth.* 7. & *Ebr.* 13. *Calovius* verò in h. l. probat, eadem argumenta Apoſtolica quæ hic contra prohibitionem cibi extant, valere eitam contra prohibitionem matrimonii, ob rationis paritatem, videatur ipſe.

§. II.

Hîc verò bilem movemus adverſariis aſſerentes *jejunia* eorum ad doctrinam Dæmoniorũ ab Apoſtolo referri. In ſcenam prodit *Baronius*, & quæ eſt manſuetudo Viri, pro authoritate Cardinalis cum magna animi impotentiâ in nos invehitur, & *impiè ſimul ac ſtultè, ineptè pariter ac incruditè, denique turpiter ac procaciter hæc objici* vociferatur. Nec mitior ferè eſt *Bellarmini*, *Coſteri* aliorumq; querela, quæ ipſa tamen quid aliud prodit, quàm *manum in ulcere*? Scilicet tangi renuunt exulcerata vulnera, & ad manum Medici *immedicabile vulnus enſe reſcindentis ne pars ſincera trahatur*, quid mirum clamores infauſtos ab ægroto cieri? Tam apertè loquitur *Paulus*, tam graviter increpat interdictum de abſtinentia â certis cibis, tam perſpicuè illud inter ſcita infernalis doctrinæ refert, ut vel rudis plebecula ad Scripturæ lectionem admiſſa facilè judicare poſſit, Romanæ Eccleſiæ ſectam vivis coloribus hic depingi. Quid verò contra hunc Solem adverſarii? Scilicet ut impudentiæ addant ignorantiam quidam Sophiſtæ objiciunt (1) Tantum abeſſe, ut Apoſtolus jejunium Pontificium doctrinæ infernalis arguat, ut potius jejunii hujus hoſtes increpet, dici enim: κωλυόντων ἀπέχεσθαι βρωμάτων *eorum qui prohibent abſtinentiam â cibis*, jam verò Pontificios non prohibere hanc abſtinentiam ſed præcipere. Proteſtantes igitur hic intelligi potius, quippe qui abſtinentiæ huic ſeſe opponant. Reſp. 1. jam ſupra §. 2. num. 6. oſtenſum eſt, hic eſſe genus dicendi Atticum; non tantum in N. T. ſed aliis ſcriptoribus græcis ſatis uſitatum. (2) Omnes

Christiani, Patrês ac Interpretes tam veterês quam rêcentiores hîc nobis consentiunt; ita vertendum esse, *jubentium abstinere à cibis* (3) Ipsi *Pontificii* ingenui genuinum hujus loci sensum admittunt; videatur *Bellarminus lib. 2. de B. Op. cap. 8. §. Resp. Damnat.* Stratagema Jesuiticum est *Costeri* in *Enchirid. cap.* 18. permittentis suæ cohorti, ut apud adversarios saltem hac Sophisticâ utantur Quod ipsum cum candore conciliare velle, quid est aliud, quàm atrum comparare albo? (4) Argumentum Apostoli in versu sequenti, *quod omnis creatura bona sit*, de ejus mente testatur. Ideò rejicit *interdictum certi cibi*, quia nulla creatura mala est, si cum gratiarum actione sumatur. Finge jam ex mente Sophistarum eos damnari, qui prohibent abstinentiam â certis cibis, nonne argumentum â creaturæ bonitate desumtum esset stupidum imò absurdum & inversum, & quid tum sibi vult *illa hypocrisis*, quam increpat? Ipse Paulus se satis alibi explicat, *Coloss. 2. v. 16. 1. Cor. 10. v. 25. 27.* Sed in re apertâ quid opus est verborum temporisque prodigum esse?

§. III.

Except. II. Pythagoricos maximè indicat, quorum præcipui erant Magi, & cum Dæmonibus habebant commercium, inter quos insignis fuit Apollonius Tyanæus, qui hic eximiè denotatur. Venit enim Ephesum vivente adhuc Timotheo. Clem. Alexandr. Strom. III. Vino, Venere & animalium esu abstinebant. Hanc exceptionem suam quoque fecit *Grotius in not. ad h. l.* nec poterat aliter, ne Pontificem R. a quô Anti-Christi notam amoliri semper conatus est, hîc apertè accusari fateretur, sed Resp. (1) *Grotium* sibi ipsi contrarium esse ostendit *Calov. in h. l.* quem vide, de re ipsa notetur (2) Pythagoricos intelligi non posse, quia illis non competit ἀποστασία à fide; fuere enim Philosophi gentiles. Apostolus verò de iis loquitur, qui â fide deficiunt; Conf. Theodoret. h. l. (3) Apollonius Tyanæus fuit Magus apertus, quomodo igitur ipsi competit *hypocrisis*, quam prædicit Apostolus? (4) Extremis temporibus hæc futura Spiritus dicit quam longè verò Apollonius à novissimis temporibus abest? ad tempora novissima hæc spectare etiam *Chrysostomus* notavit. (5) Non illi hic notantur, qui nuptias damnant facto vel voce, sed qui publicâ autoritate legislativâ prohibent quod solum

qua-

quadrat in Pontifices Romanos. Conf. *Conc. Trident. Seſſ. 24. can. 9.* (6) Proferantur authentica documenta, Apollonium Tyanæum prohibuiſſe & conjugium & certos cibos; certè (7) quod *Clemens Alexandr. lib. 3. Stromatum* ait, *Magos quoque â vino, animatis & rebus venereis abſtinere*, miror à *Grotio* adductum, cum nullo alio fine â *Clemente Alexandriano* memoretur, quàm quod ipſi Magi *quandoque* ab his rebus abſtineant, ut adeoque in illa abſtinentia nulla lateat Chriſtiana ſanctitas. Idem tamen *Clemens Alexand.* eodem lib. 3. Strom. pag. m. 431. Magos cum Matribus & filiabus coire ait, de *Apollonio verò Tyaneo* l. c. nullum verbum etiam habet, ac unde novit *Grotius*, illum ſuperſtite Timotheo Epheſum veniſſe, eamque doctrinam diſſeminaſſe? certè (8) vel illum vel *Magos* indicari, nullâ veritatis ſpecie dici poteſt, cum omnes illæ notæ ab Apoſtolo ablatæ minime illis conveniant, in ſectam Romanam verò omnes exacte quadrent. Neque (9) ſequitur: Magi coluêre Dæmonas, Ergò ſunt illi, qui doctrinam Dæmoniorum hic ſequi dicuntur. Invertimus enim argumentum: Qui aperte Dæmonas colunt hic intelligi nequeunt, ſed hypocritæ, ut innuit verſ. 2. qui Spiritum quidem Sanctum venditant, â maligno autem Spiritu agitantur. Hoc verò in Pontifices Romanos exacte quadrat, qui ſingularem Spiritus S. aſſiſtentiam donumque infallibilitatis jactant, cum Spiritui S. in omnibus fere contradicant.

§. IV.

Nec fortior eſt *Exceptio III.* Pontificiorum, veteres hæreticos hic tantùm perſtringi. *Bellarminus* l. c. *Apoſtolum*, ait, *hic damnare hæreticos omnes, qui cibos, ut per ſe immundos prohibent, ac præſertim Marcionitas, Encratitas & Manichæos. Eccleſiam verò Romanam propter veram ſanctitatem & cultum DEO præſtandum jejunia & ciborum delectum aliquando præſcribere, cum alioqui omnes cibos natura ſua mundos & à bono DEO creatos eſſe & cum gratiarum actione pro tempore & loco percipiendos doceat.* Reſp. (1) Hac exceptione nihil aliud probat *Bellarminus*, quàm ejusdem erroris participes olim fuiſſe damnatos ab Eccleſiâ hæreticos, quod ipſum facile largiri poſſumus, cœteroquin ſatis edocti, Hodiernam ſectam Romanam eſſe colluviem errorum ex antiquis hæreſibus conflatam. Reſp. (2) Unde vero novit

vit *Bellarminus Marcionitas, Encratitas & Manichæos* indigitari? certe ipsorum nomina non extant? Sed procul dubio inde hoc colligit, quia abstinentiam à certis cibis præceperunt. Sit ita, nos igitur præeunte etiam Bellarmino argumentamur: Quicunque abstinentiam à certis cibis præcipiunt, matrimonium prohibent, &c. a Paulo arguuntur adhærere doctrinæ Dæmoniorum. Atqui *Pontificii* etiam abstinentiam à certis cibis præcipiunt, & matrimonium prohibent, Ergo & Pontificii adhærent doctrinæ Dæmoniorum. *Minorem* inficiari nequeunt, nisi forte carnis esum inter cibos non referant. Acute hic & nervose Dallæus, l. c. *Quod hîc Marcionitæ* damnantur, minime prohibet, quo minus & Encratitæ hic condemnentur. Quod & hos Apostoli fulmen prostravit, non impedit, quin idem telum & in Manichæos efficax sit. Neque quod veteres Catholici hos omnes hic sugillari putarunt, eo factum est, ut non adversus Montanum eandem disciplinæ pestem invehentem, Apostoli dictum vibrarint, ut ex *Tertulliano* patet, Quod ergo veteres isti Paulina hac sententia damnati sunt, id nihil prohibet quo minus & adversarii eadem damnari censeantur, & alii item, si imposterum exoriantur, quicunq; disertam hanc Apostoli legem violabunt. Non enim si brevi post Pauli *discessionem* (Actor. 20. v. 29. 30) secundum ejus prædictionem Ephesiorum & aliorum Christianorum greges *intrarunt lupi rapaces, & surrexerunt viri loquentes perversa, ut abducerent discipulos post se*, sequitur sic exhaustum fuisse primo illo eventu Apostoli vaticinium, ut si qui post ea tempora exorti sunt lupi & seductores, id ipsis objicere minimè deceat. Æterna est divinorum dictorum veritas; ut quisquis in eâ sive prineeps, sive post alios impingit, is non reus, non condemnatione dignus esse nequeat. Si damnantur isti veteres hæretici qui cibis abstinere jusserunt; non video, quomodo absolvi possint, qui nunc idem jubent, tanto inexcusabilius, quod ne veterum quidem istorum exemplo à peccando deterriti sunt. Hactenus ille. Sed Resp. (3) si veteres hæretici hîc intelligendi sunt, multo magis hodierni ex mente Apostoli, qui insignis Apostasiæ hanc notam in postremis temporibus ponit. Quô propiùs ergo hodierni Pontificii ad postrema tempora accedunt, eo propiùs quoq; hoc telo Apostolico feriuntur. At, ajunt,

ajunt, extrema tempora Apoſtolo vocantur illa â Chriſti morte reſurrectione & aſcenſione ad diem noviſſimum porrigantur. Non renuo; ſed in his ipſis ultimis temporibus generaliter ita dictis eſt tamen prius & poſterius; ita, ut qui hodie vivunt, à die extremo ſpecialiter dicto propius abſint quam qui ante tot ſecula vixêre. Illi igitur potiſſimum hîc intelliguntur, in quos temporis circumſtantia ab Apoſtolo indicata quam maximè quadrat. Sed in Pontificios illa quàm maximè quadrat. Ergò Pontificii hîc potiſſimùm intelliguntur. Reſp. (4) Id verò etiam denuò notari velim, illos hîc perſtringi ab Apoſtolo qui characteris illus quadruplicis menſuram implent; jam verò nulla in orbe ſecta omnes notas ſimul implevit, præter Pontificios. Et cum hodie prædictio Apoſtoli inter homines in his poſtremis temporibus ſuperſtites procul dubio impleatur, doceant quæſo Pontificii, ubi illa ſecta lateat, quæ Apoſtaſiæ à fide *hypocriſin, jactationem miraculorum, interdictum matrimonii, & abſtinentiam à certis ciboris* addit. Cùm nullibi verò illa ſecta niſi in Eccleſiâ Romana reperiatur, cœcus ſit oportet, qui non animadvertit, in eodem quoque grege Anti-Chriſti Scholam, & quam redarguit Apoſtolus, doctrinam Dæmoniorum latere.

§. V.

Excipiunt verò adverſarii, damnari ab Apoſtolo, abſtinentiam â certo ciborum genere ideò præcipientes; quod impuros eſſe eos putent, atque hanc mentem priſcis hæreticis fuiſſe; hos ergò ſolos damnari. Reſp. (1) Apoſtolus ſimpliciter damnat eos, qui abſtinentiam â certis cibis Chriſtianis injungunt, ad modum *cultus*, nihil verò addit de mente ac opinione prohibentium, quid de ipſa *naturâ* ciborum cenſeant; an eos impuros atque immundos putent, an ſecus; ſufficit *Paulo*, ſi quis eſu certi cibi interdicat Chriſtianis, eorumque libertatem conſtringat, ad ipſam Religionem hujusmodi interdictum referendo. Hoc verò ipſum illud eſt, quod faciunt Pontificii. Qui igitur negare poterunt, ſe quoque hoc ipſo loco perſtringi. Nullum eſt illud effugium; *At verò Romana Eccleſia non eo animo vetat carnis eſum, quod carnes in ſe & ſua naturâ immundas putet, ſed pio fine, ut fomitem illecebris carnis eripiat, mortificationi locum faciat, & pietatis ſtudium eò expeditius promoveat atq; ſectetur.* Sed, inquam,

quam, factum igitur ipsum negare non possunt Pontificii; saltem ut factum excusent bonæq; intentionis colore pingant ipsos satagere videmus; quod ipsum est desperatæ causæ indicium. Solent enim in gravissimis delictis deprehensi, & de facto convicti ad ejusmodi colores divertere, ut cum ipsum â se crimen amoliri nequeant, invidiam criminis semoveant, dicendo, at non malo animo feci, sed bonâ intentione. Resp. 2. Hoc ipsum verò effugium fore illius sectæ, jam eodem loco prædixit Apostolus, qui notanter *in Hypocrisi* hæc futura memoravit. Unde ego inverto argumentum. Illi hic intelliguntur potissimum, qui sub prætextu sanctimoniæ hoc est *in hypocrisi* carnis esum prohibent, non qui planè immundas carnes & Diaboli creaturam appellant. Qui tam crassè enim & crudè loquuntur, sine omni hypocrisi vel ignorantiam produnt, vel malitiam, vel deniq; insaniam. Jam verò Pontificii sunt illi, qui sub prætextu sanctimoniæ abstinentiam â carne imperant; eoq; nomine hypocriseos notam incurrunt; Hos ergò potissimum hic intelligi perquam manifestum est. Resp. (3) ut verò pateat, quàm debilis illa sit Pontificiorum tota Exceptio, notari meretur, neminem inter veteres hæreticos fuisse, quin abstinentiæ causam interseret cultum Numinis vitæque sanctimoniam. *Montanistæ* sanè non minus quam hodierni Pontificii publicè professi sunt, cibos esse in se & suâ naturâ bonos, & cum gratiarum actione suo tempore ac loco percipi posse; quæ tamen protestatio non obstitit, quò minùs veri *Catholici* hunc Pauli locum æquè illis objicerent, ac *Encratitis*, *Marcionitis* ac *Manichæis*, quod ipse non diffitetur *Tertullianus lib. de Jejun. cap. 2.* Imò & *Encratitæ* singularis continentiæ studium præ se ferebant; hinc se ipsos appellabant ἐγκρατεῖς, ut *Irenæus* apud *Eusebium* loquitur vel ἐγκρατίτας, ut habet *Epiphanius*, ab origine & nomine ἐγκρατείας, continentiæ vel abstinentiæ. Idem patet ê libro Tatiani Encratitarum Patriarchæ, quem inscripsit: *de perfectione secundum Salvatorem*, cujus meminit *Clemens Alexandrinus* lib. 3. *Strom. pag. m.* 406. nonnulla ex ipso contra conjugii sanctimoniam allegando. Durius tamen quam *Montanistæ* locuti sunt *Encratitæ* veteres. Quamvis in ipso errore convenerint. Videatur *Chemnit. Exam. Conc. Trid.* pag. m. 787.

m. 787. 788. Paralleliſmum *Montaniſtarum* & Pontificiorum ex Tertulliano inſtituit Dallæus de jejunio lib. 2. cap. 3. & ſucceſſu, ut cuivis pateat non ovum ovo ſimilius eſſe. Ante Dallæum tamen idem Chemnitius noſter oſtendit Ex. Conc. Trid. *Montanum* verò ſi Patrem inficiari nequit ſecta Romana, quî *Avos* ſuos, Tatianos, Encratitas, Marcionitas, non agnoſcent? certè *Hieronymus in Agg. cap. 1. pag. m.* 184. poſtquam oſtendit cultus electitios gladio DEI percuti & omnem laborem manuum, ut loquitur, & jejunia eorum & obſervationes varias, & χαμευνίας i. e. humi dormitiones, ſtatim addit: *Qui tribus quadrageſimis per annum jejunantes, & ξηροφαγίαις humiliantes animam ſuam, & vel maxime* NB. *de Tatiani radice creſcentes, ſuper hujuſcemodi laboribus audiunt: Tanta paſſi eſtis ſine cauſa. Hæc autem omnia, quæ dixi, poſſunt de Eccleſiæ Rectoribus intelligi. &c.* quinam ſunt illi, qui tribus quadrageſimis jejunant? Montaniſtæ ſanè, quibus illa fuit velut propria conſuetudo. Hos verò à *Tatiano* Encratitarum Patre derivat *Hieronymus*, quem calumniæ, ut opinor, non poſtulabunt Pontificii.

§. VI.

Neq; verò cauſa eſt, cur Pontificii glorientur, ſe de naturâ carnis puriùs ſentire, quam *Manichæi*, *Encratitæ* & *Marcionitæ* ſenſerint. Etenim (1) non deſunt in iſtâ ſectâ magni nominis Viri, qui carnes impuras eſſe clamant. *Durandus* ſanè Mimatenſis Epiſcopus *Rational. lib. 6. cap. 7.* hanc cauſam allegat, cur tempore quadrageſimali piſces potiùs quàm carnes comedantur, quod DEUS quidem terræ maledixerit, non autem aquæ, quippe per quam futura erat in Baptiſmo remiſſio peccatorum. Addit, in primâ creatione Spiritum S. inſediſſe aquis, atq; hoc dignum eſſe elementum, quo ſordes abluantur. Ridiculum prorſus eſt, quod ſubnectit; cum quidam piſces habeant formam animalis quadrupedis ex unâ parte & ex altera piſcis, eâ parte quâ piſcem referunt, comedi tantum debere, ex altera verò minimè. *Bellarminus* quidem hanc *Durandi* rationem non facit ſuam, ſed nec tamen ab omni culpâ liber eſt, ut poſtea ſumus oſtenſuri. *Durando* igitur judice caro maledictionis particeps eſt, quia terra maledicta fuit. Quod verò maledictionem è terra traxit, nonne id maximè impurum eſt? & quid gravius dici poſſet contra

esum carnis observare meritò jubet *Scherzer. de Anti.Christ. pag.* 862. Durandum quoq; l. c. fateri, abstinentiam à solis carnibus ovis & lacte Ecclesiæ Romanæ propriam esse. (2) Sed & *Pontifices* immundos quosdam cibos & execrabiles esse statuerunt. *Gregorii III.* Epistola ad Bonifac. Episcopum Moguntinum, (cujus & *Calovius* meminit in *annot. ad 1. Tim. IV.*) extat in *Concil. Tom. V. pag.* 464. *Zachariæ* Pontificis vero Epistola ad eundem Bonifacium *Concil. Tom.* 5. *pag.* 491. legitur. (3) Quid verò aliud sequitur ex istis convitiis, quæ in carnis esum conjiciunt Pontificii, quàm persuasos esse eos, impuritatis ac nequitiæ semina in carne latere. Ipse *Bellarminus de B. O. cap. 8. carnes seminarium libidinis* expressis verbis appellat; (immemor planè in conchis marinis aliisque eduliis, quorum usum concedunt, & in vino cujus potum non prohibent, & nutrimentum, & incitamentum veneris non minus quàm in carne latere.) Quæ phrasis certe impuritatem maximam infert. Et cum effectus impuros carnî tribuant, in causâ originem collocent necesse est; Aut enim quantitate hic peccant carnes aut qualitate; non quantitate; cum vel tantillum carnis quoq; prohibeant, ergò qualitate: ipsam igitur naturam carnis hæc petunt. Quid verò de illâ consuetudine dicemus, quam adhuc servari fatetur *Bellarminus*, ut *peracto quadragesimali Jejunio* ipso die Paschatis carnes & ova ad Sacerdotem deferant, ut benedicantur. Si benedictione opus habent carnes, supponitur profecto immunditie eas laborare quæ nisi hoc ritu elui non possit. Et ne quid dissimulemus, fortius etiam quam veteres Hæretici hodierna Romana secta, carnis munditiem impugnat, cùm tempore interdicti tantum piaculum imputet eâ vescentibus, ut pœnitentiâ seria opus sit. Et quis unquam inter Veteres hæreticos secus sentientes ferro & flammis addixit? Hæc tamen est illa Romanæ curiæ clementia erga libertatis Christianæ vindices, ne ullum dubium resideat, quin Anti-Christi soboles imperium exerceat Juri Naturæ adversum. (4) Patet igitur, Pontificios hîc quoq; cum priscis Hæreticis amicè conspirare, præsertim cum *Montanistis*, qui superstitiosas leges suas πιρπεινοφροσύνη specie palliabant. *Manichæorum* postea cœperunt deliria satis crassa quidem sed affinìa tamen superstitioni Pontificiæ. Electis enim suis (ita perfectiores vocabant) usu carnis

sim

ſimpliciter interdixerunt, auditoribus verò ſuis veniam conceſſere & carne & ovis veſcendi, ut eſt apud *Auguſtin. contra Fauſtum lib. 30. cap. 5.* Rectè hic notat B. Chemnit. Ex. Conc. Tr. p. 793. hanc eſſe originem, unde poſtea Monachis & præcipuè Carthuſienſibus tanquam perfectioribus ſub alio prætextu ſtrictior abſtinentia quàm reliquo vulgo tanquam imperfectioribus injuncta fuerit. Atq; ita fieri ſolet, ut quos pudet errorum quibus jam anathema dixit Eccleſia in priſcis hæreticis, aliam ſpeciem & honeſtatis larvam adoptent, ut impune iam hæreſin ſectentur. Ita ſtatim accidit tempore *Manichæorum*, contra quos cum *Ancyrana Synodus circa annum Domini* 308. *canonem* 14. conſignaſſet, non diu poſt *Euſtathius* à carnium eſu abſtinendum docuit, non quod eos cum Manichæis abominandas iudicaret, ſed alio fine, ut abſtinentiam & monaſticæ diſciplinæ ſeveritatem in alios derivaret. *Sozomenus lib. 3. cap. 13. Euſtathium* ſcribit in Synodo Gangrenſi publicè profeſſum, quod ieiunia οὐκ αὐθαδείας ἕνεκα ἀλλὰ τῆς πρὸς Θεὸν ἀσκήσεως, i. e. non contumaciæ aut arrogantiæ, ſed religioſæ exercitationis gratia erga Deum inſtituiſſet. Mirificè hæc proteſtatio *Euſtathii* cum *Pontificiâ* convenit, ut adeò negari nequeat citra calumniam Euſtathianis à noſtratibus conferri. Contra illos verò in Gangrenſi ſynodo ita decretum eſt canon. 2. *ſi quis eum, qui carnem ex fide cum Religione manducat condemnârit, velut ſpem propter hujusmodi perceptionem non habeat, anathema ſit.* Eant iam Pontificii & ex hoc etiam canone Eccleſiæ veteris orthodoxæ mentem addiſcant.

§. VII.

Sed, inquiunt, *quos damnet Apoſtolus ex ipſius verbis planè liquet; nempe eos ſolùm, qui cibos immundos putant, hinc ſtatim refellit hunc errorem, addens, omnem creaturam eſſe bonam, &c.* Reſp. Argumentum Apoſtoli ad refellendum hunc errorem agnoſcimus, ſed tale eſt: quodcunque eſt creatura bona, ejus uſu legitimo nemini interdicendum. Atqui cibus &c. Ergo. Cauſam igitur allegat, quare certis cibis interdici nequeat: non verò reſpicit ad eorum edicta tantùm, qui cibos in ſe immundos ſentiunt. In genere enim & ſimpliciter loquitur contra interdictum certi cibi, & ſi in formam redigas, hæc naſcuntur argumenta. (1) Q. in ſe mundum ac bonum eſt, ejus uſus

immeritò prohibetur. Atqui omnes cibi in se mundi ac boni sunt. Ergò. (1) Q. cum gratiarum actione accipi à fidelibus potest, ejus usus fidelibus non est denegandus. Atqui cibus omnis cum gratiarum actione accipi â fidelibus potest. Ergò. (3) Inferat jam quis porrò; qui non obstantibus his causis ab Apostolo memoratis tamen abstinentiam à certis cibis imperant, doctrinam dæmoniorum fovent. Atqui Pontificii non obstantibus his causis, &c. Ergò. (4) Addi & hoc potest. Q. Sub prætextu Religionis certos cibos prohibet, is velit nolit impuritatis eos accusat. Atqui Pontificii, &c. Ergò. Hîc verò exclamat Henricus Morus Oper. Theol. pag. 453. evidentiâ ac certitudine planè mathematicâ sequitur, in illa Ecclesia Mysterium inîquitatis latere.

§. VIII.

Cur verò, dicat aliquis, *Paulus in N. T. tam levis momenti negotium ad doctrinam Dæmoniorum refert? Anne perinde est, â quo quis cibo abstineat, quove vescatur? Num sui immemor Paulus & illius dicti, Rom 14. v. 17. non in escâ & potu situm esse DEI regnum, &* I. *Cor. 8. v. 8. Neque enim si edimus, aliquid hinc accedit nobis, neque si non edimus aliquid hinc decedit nobis?* Resp. (1) Interdictum certi cibi imminuit & labefactat libertatem Christianam sanguine Christi partam, adeoq; arcem Religionis invadit, & ChristoServatori ejusque merito facit injuriam. (2) Prodit Anti-Christi genium, arrogantis sibi imperium in conscientias mortalium, & novâ lege sancientis vetitam esse rem liberam & indifferentem. (3) A verâ pietate & cultu Nominis avertit animos, nugisq; intentos esse cogit, qui *in Spiritu & veritate* colere Deum ac invocare debebant. (4) Cum natura N. Testamenti omne ciborum discrimen excludat, in veteris Testamenti servitutem postliminò redigit Christianos, Novique gloriam obfuscat. (5) Supponit falsissima; *his rebus placari DEUM*, qui tamen non nisi unico Christi sacrificio nobis reconciliatur; *& virtutem meriti* in ista abstinentiâ latitare, quæ omnia quantum derogent Christi Salvatoris merito, nemo non videt; Ne quid de fomite arrogantiæ, Pharisaismo, hypocrisi, &c. dicam. Unde nobis nascitur tale argumentum. Q. Interdictum libertatem Christianam lædit, Anti-Christi notam complectitur, â verâ pietate avo-

avocat, naturam Novi Teſtamenti invertit, merito Chriſti derogat, & arrogantiæ, Phariſaiſmo ac hypocriſi fomitem ſubſternit; id meritò ad doctrinam Dæmoniorum à Paulo refertur. Atqui Interdictum Pontificiorum de eſu carnis ita comparatum eſt. Ergò.

§. IX.

Illud etiam obſervare juvat, Abſtinentiam ab eſu carnis inter paganos quoq; uſitatam conſtituere partem ſuperſtitionis Gentilium. Unde diſſimulare non potuit Tertullianus lib. de Jejun. p m. 671. Montano ab orthodoxis objectum fuiſſe, Xerophagiam novum & affectati officii nomen eſſe & proximum Ethnicæ ſuperſtitioni; quales caſtimoniæ Apim, Iſidem, & magnam Matrem certorum eduliorum Exceptione purificant, cum fides libera in Chriſto ne Judaicæ quidem legi abſtinentiam quorundam ciborum debeat, ſemel in totum macellum ab Apoſtolo admiſſa. 1. *Corinth.* 10. *v.* 15. ut loquitur *Tertullianus*. Unde apparet, à veris Catholicis interdictum carnis adeò non habitum eſſe Chriſtianum, ut idololatriæ gentilium potius affine illud exiſtimârint. In Indiâ orientali Brachmanes à carnis eſu abſtinere ab iis accepimus, qui rerum Indicarum monumenta literis conſignârunt. Unde & Jeſuita Robertus Nobilis, ut animos Indorum ſibi conciliaret, ad eam vivendi rationem ſe conformabat, quâ Sapientes hujus gentis & Brachmanes utebantur, abſtinendo ab omni carne, nec niſi fructus, herbas & legumina comedendo. Qua conformitate effectum eſt, ut in animos eorum blandè influerent, arbitrantibus Indis, non procul à ſua doctrina eorum Religionem abeſſe, qui eosdem ritus moresque ſectarentur. Et obſervatum eſt noſtris, cauſam, cur tantos progreſſus in India Jeſuitarum converſio fecerit, non ultimam eſſe, quod cœnobia, caſtigationes, flagellationes, abſtinentiam à carne, aliaque mortificationum genera Pontificiis ſimilia jam apud Idololatras reperirent. Quâ de re nonnulla ſuppeditat *Johannes Ludovicus Gothofredus in Archontologiâ Coſmica pag. m. 279. ſeqq.* Nec diffitentur ipſi Pontificii rerum Indicarum Scriptores. Videantur *Maracc. in Relat. Ind. pag. 59. Cardin. Relat. Indic. Part. 2. pag. 259. Du Jarric. Indic. L. 6. cap. 21. 22.* Non tamen omninò mihi probatur doctiſſimi *Dallæi* conjectura, putantis æque ideò Apoſtolos Petrum, Jacobum & Matthæum inter Judæos

ab

ab esu carnis abstinuisse, ut ministerio suo eò majorem venerationem ac sanctimoniæ decus conciliarent. Paulum verò inter Gentiles versantem opus non habuisse, ut singulari abstinentiâ â certis cibis viam sibi ad animos auditorum pararet. Ita quidem in libro Gallico, quem inscripsit Replique de Jean Daillé aux deux livres de Messieurs Adam & Coltiby pag. m. 245. *Saint Jacques demeurant parmy les Juifs en Jerusalem, il y a grande apparence, que c'estoit pour gaigner leur amitiè, & pour leur rendre son ministere plus aggreable & plus utile, qu'il s'abstenoit de la chair de touts les animaux; scachant combien ils aimoient & admiroient cette sorte d'exercices.* Et paulò post. *J'en dis autant de St. Matthieu, qui avoit aussi son departement parmy les Hebreux, & de Saint Pierre, à qui chacun scait, que la predication de la circoncision fut commise.* Nec diu post: *Nous ne trouvons point, que les anciens ayent rien ecrit de semblable de l'Apotre S. Paul, qui n'estoit pas moins Zele, ny moins soigneux, de touts les exercices de la piete que les autres. Mais estant envoyé pour la conversion des payens, il ne faut pas s'estonner, s'il a negligè cette sorte d'abstinence qui n'estoit proprement utile qu'a ceux, qui avoient à converser avec les Juifs comme ces autres Apôtres dont nous venons de parler.* Mihi enim nulla fuisse causa Dallæo videtur, ut liberaliter factum Petri, Jacobi & Matthæi Pontificiis concederet; cum istæ narratiunculæ non fundentur nisi in scriptis Apocryphis & suspectæ fidei. Mirum sanè quod *Montanistæ* ad illa exempla Apostolorum non provocârint; provocassent autem procul dubio, si fidem illis in Ecclesia tribui novissent: Nam quicquid vel speciem quandam veritatis habuit, cum exemplis Biblicis, magno numero conglomerarunt, quod è *Tertulliano discimus de Jejun. cap. 9.* Comedisse verò Petrum cum gentilibus ipse testatur Paulus *Gal. 2.* unde abstinentiam ab omni carne ipsi vel perpetuam vel ad tempus fuisse, nemo dixerit. Abstinuerit inter Judæos â carne suilla, sed ab omni carne abstinuisse, frustra asseritur. Multò minus verò probari potest, Petrum esum carnis cuiquam interdixisse.

§. X.

Ut verò eô revertamur, unde digressi sumus, Jesuitæ in Japoniâ non modò ad mores eorum sese accommodarunt, sed publicè profes-

ſeſſi ſunt, ſuam religionem â cultu Japonio non diſcrepare. In quam rem adducere juvat *Bernhardum Varenium* in deſcriptione Japoniæ lib. 2. cap. 10. ubi agit de cauſis tam feliciter propagatæ Religionis in Japonia. Similitudo inquit, Japoniæ Religionis etſi falſæ cum Chriſtianâ inprimis verò cum Pontificiâ, procul dubio non parùm ad hanc rem fecit, cum Bonzii initio adventus Jeſuitarum Japoniis perſuadere conati ſint, ſuam religionem non eſſe differentem ab illorum, ut Xaverius teſtatur. Paulò poſt, *cum Pontificiis plurima habent communia.* (1) *Quod utriusque ſexus cœnobia multa extructa habent.* (2) *Quod* NB. *carnis uſum peccatum eſſe dicant*; (3) *Quod clericis conjugium interdictum ſit*, &c. Ægyptios verò â certis cibis abſtinuiſſe vel illud Juvenalis indicat Satyr. 15. quod de Ægypto ſcribit: *Lanatis animalibus abſtinet omnis Menſa nefas illic fœtum jugulare capellæ. Hottinger. in Hiſtor. Orient. lib. 1. cap. 7.* ex Arabum Scholâ teſtatur, Zabios antiquiſſimos Idololatras abſtinentiam à certis cibis inter inſtituta religioſa numeraſſe. Addit *Spencer de Legibus Hebræorum lib. 1. cap. 5. pag. m. 106.* Veriſimile eſſe morem illum originem ipſi idololatriæ coævam habuiſſe, quod Apoſtolus abſtinentiam à cibis inter δαιμονίων διδασκαλίας numeraverit. Malè autem idem *Spencerus* ſuſpicatur, diſcrimen animalium ciborumque delectum in gente Judaicâ ab Ægyptiis trahere originem. Rectius verò pag. 1. 2. obſervat, ſuperſtitioſos omnes hujusmodi abſtinentiam in præcipuâ puritatis & Religionis ſuæ parte poſuiſſe; & cauſam redditurus, quare Apoſtolus τὸ ἀπέχεσθαι βρωμάτων inter præcipuas & paſſim receptas Dæmoniorum doctrinas recenſeat, Homines, ait, â creaturis quas DEus bonas dixit, tanquam pollutis abſtinentes, DEO ipſi probrum ingerere, & Diabolo imperium abſolutum in mentes humanas affectanti obſequium planè ſervile præſtare. Cur verò Idololatræ facile ad abſtinentiam à certis cibis ſeſe adjungant, conjecturâ difficili aſſequi licet. Inſita enim mortalium animis eſt perſuaſio, niſi è ſacro codice aliter edocti ſint; ad ſalutem ſuam quenquam merendo plurimum conferre poſſe; hinc eligunt aſperam vivendi rationem, ut menſuram meriti impleant, i-

gnari ſæpius miſeri, ſe, dum cœlum putant, durè ſatis infernum mereri. Accedit deinde, quæ ſuperſtitionem omnem comitatur, hypocriſis & arrogantia, ut ſe duram vivendi rationem iniiſſe publicè oſtendant, eoque pacto aliorum oculos in ſe & admirationem convertant. Tolle verò ſuperſtitionem, meriti opinionem & arrogantiam, & ſuſtuliſti fundamentum omne, quô illa διδασκαλία δαιμονίων innititur.

§. XI.

At quomodo, ajunt, *abſtinentia à certis cibis ſimpliciter ad doctrinam Diabolorum referenda eſt, cum ipſe DEUS in Vet. Teſt. Judæos quorundam animalium eſu interdixerit.* R. Novimus ſanè DEUM in V. T. delectum ciborum inſtituiſſe, quam ob cauſam, nunc non attinet indagare. Sive enim cauſam illam *Symbolicam* putes, ut poſt *Auguſtinum & Irenæum*, *Pelargus & Novatianus*, & ex illis *Calovius in Levit. XI. v.* 1. ſive cum *Grotio* ex *Maimonide* perſuaſus ſis, DEUM quoque cauſas naturales reſpexiſſe, & populi ſui ſanitatem intendiſſe, parùm referre arbitror, modò ne putes ê ſacris Ægyptiorum hæc translata in Religionem Judaicam, quod idem aſſerit *Grotius*; & occaſionem ſaltem inde derivat *Spencerus*, de quo ſupra; omnium tutiſſimum eſt in voluntate legislatoris acquieſcere, & rationem legis Sapientiæ illius relinquere potius, quàm falſam originem inſtituti allegare. Idem verò DEUS, qui in V. T. delectum ciborum inſtituit, in Novo ſuſtulit diſcrimen; ſi quis igitur libertatem â DEO datam conſtringere conatur, nonne ſupra DEUM ſe erigit, & apertam prodit Anti-Chriſti notam. Si à lege ceremoniali Vet. Teſt. concludere licet ad Novum; quidni Papiſtæ totam legem ceremonialem adhuc urgent, quidni & animalia certa in ſacrificium offerunt, agnum paſchalem mactant? circumciſio erat in Vet. F. inſtitutum divinum Sacramenti vim obtinens, & tamen *Paulus* pronunciat *Gal. 5. v. 2. ſi circumcidamini, Chriſtum nihil vobis profuturum, & v. 4. gratiâ excidiſtis.* Idem *Paulus* contra diſcrimen ciborum non uno loco inſurgit, ut ſupra videmus.

§. XII. Sed

§. XII.

Sed omnis, inquiunt, abſtinentia à carne doctrina dæmoniorum vocari nequit, quod patet, Nam & Medici ſæpe certi cibi uſu interdicunt, quos immeritò dixeris argui ab Apoſtolo. Reſp. Quos arguat Apoſtolus, ipſe ſatis clarè indicat, nempe eos, qui abſtinentiam à certis cibis ob *cultum religioſum* imperant, & ex *hypocriſi* obſervant; Quod cum non quadret in Medicos ob rationes naturales ê principiis artis ſuæ hoc vel illud edulium prohibentes, planè extra ſcopum & ridicula quoque eſt Exceptio.

§. XIII.

Sed nec intentio Eccleſiæ pia, quam venditant, ictum Apoſtoli effugiet. Hoc ipſo potius manifeſtè produnt Papiſtæ, ſe verè eſſe ἐν ὑποκρίσει ψευδολόγους. Veteres etiam hæretici intentionem piam præ ſe ferebant, ſingularis continentiæ laudem aucupantes, *Encratitæ* ideo ἀπὸ τῆς ἐγκρατείας dicti. *Montaniſtæ* adverſarios ſuos orthodoxos Catholicos vocabant ψυχικοὺς. *Euſtathiani* ſe veros eſſe Chriſtianos & ſolos gloriabantur, imò ipſi etiam *Manichæi* paria fecerunt cum Pontificiis. Nam ut habet *Auguſtin. de moribus Manichæor. lib. 2. cap. 13. pag. m. 787. Manichæi ſignaculum oris ſui ad imperitorum illecebram quaſi magnum aliquid prædicabant.* Quorum arrogantiam & hypocriſin fuſè perſtringit, interque alia quæſtionem Manichæis proponit, quam non poſſum quin hîc adducam, cum mirificè depingat Manichæiſmi genium & Papiſmi. *Quæro à vobis*, inquit, *ſi quis exiſtat, quod fieri poteſt, ita homo pareus & frugi, ut appetitum ventris & gutturis moderans, non epuletur bis per unum diem: & huic cænanti oluſcula cum exiguo lardo apponantur, eodem lardo uncta atque condita, quantum comprimendæ fami ſat eſt: ſitimque irriget, propter diligentiam valetudinis, duabus aut tribus vini meracti potionibus, iſque illi victus ſit quotidianus; alius verò ex alia parte nihil guſtans carnium, nihil vini, exquiſitas & peregrinas fruges multis ferculis variatas & largo pipere aſperſas nona hora libenter aſſumat, noctis etiam principio talia cænaturus: bibat autem mulſum, carœnum paſſum, & nonnullorum pomorum expreſſos ſuccos, vi-*

ni ſpeciem ſatiù imitantes, atque id etiam ſuavitate vincentes, & bibat, non quantum ſitit, ſed quantum libet, idque ſibi exhibendum curet quotidie, talique victu deliciisque perfruatur, nulla neceſſitate, magna voluptate: quem tandem horum duorum, quod ad cibandum potandumque attinet, abſtinentiùs vitam ducere judicatis? Non opinor adeò vos eſſe cæcos, quin illum de parco lardo & vino, huic gurgiti præferatis. Ita quidem veritas cogit, ſed veſter error longe aliter canit. Electus enim veſter tribus ſignaculis prædicatus, ſi quotidie ita vivat, ut hic, quem poſterius deſcripſimus, ab uno & fortaſſe duobus gravioribus reprehendi poteſt. Si autem ſemel cum illo priore cœnaverit, fruſtoque perne vel rancido, labra unxerit & vappa udaverit, ſolutor ſignaculi & gehennæ ilico deſtinatus, veſtri autoris ſententia, mirantibus vobis, ſed tamen conſentientibus judicabitur. Quæſo relinquite errorem, quæſo advertite rationem, quæſo aliquantulum conſuetudini obſiſtite. Quid enim eſt iſta pravitate perverſius? Quid magis delirum? Quid porro inſanius dici aut cogitari poteſt, hominem boletos, orizam, tubera, placentas, carœnum, piper, laſer, diſtento ventre cum gratulatione ructantem, & quotidie talia requirentem, non inveniri, quemadmodum à tribus ſignaculis, id eſt, à regula Sanctitatis excidiſſe videatur, alium verò fruges viliſſimas fumoſo obſonio condientem tantumque hinc aſſumentem, quantum refectioni corporis ſufficit, & tres cyathos vini ſuſtentandæ valetudinis gratia ſorbentem, & ab illo victu ad iſtum tranſeuntem, certo ſupplicio præparari?

§. XIV.

Jejunium Quadrageſimale in Scriptura & Antiquitate fundari, fruſtra nobis objiciunt Pontificii, cum neque Exemplis neque dictis probare illud poſſint. A vero jejunio ad ſolam abſtinentiam â carne non valet conſequentia. Ab exemplis item extraordinariis nihil hìc concluditur. Et piget ſane frivolas adverſariorum objectiones ſollicitâ curâ complecti, cùm centies à noſtratibus refutatæ fuerint. Id notaſſe ſufficiat, iisdem argumentis hodie uti Pontificios, quibus olim Montaniſtæ contra orthodoxos utebantur, quod patet è *Tertulliani lib. de jejunio*. Exemplum *Danielis* olim *Montaniſtæ*, jam *Pontificii* urgent; utique

ſine

ſine omni fundamento, qui enim ſequitur, *Daniel* abſtinuit trium hebdomadum ſpatio à carnibus & vino, ut legitur Daniel, cap. 10. Ergò interdictum carnis in Eccleſiâ Pontificiâ eſt legitimum & pium? Reſpondetur enim (1) Ab exemplo libertatis ad præceptum neceſſitatis N. V. C. (2) Daniel abſtinuit ab omni carne. Ergò & â piſcibus, quibus ſua caro eſt. 1. *Cor.* 15. *v.* 39. quidni igitur â piſcibus quoque abſtinent adverſarii? (3) Daniel à vino abſtinuit, quod tamen largiſſimè in quadrageſimâ bibitur ab adverſariis, & ab unguento, cujus uſum permittunt. (4) Ut *Daniel* aliis fidelibus eandem abſtinentiam non imperavit, ita nec opinionem meriti fovit. Exemplum *Ninivitarum* fruſtra allegatur, quippe quorum Jejunium erat ab omni cibo abſtinentia. Johannis Baptiſtæ exemplum locuſtis & melle ſylveſtri veſcentis planè extraordinarium eſt, & mirum eſt urgeri ab adverſariis, cum hactenus Johannem neque in amictu neque in victu imitati ſint. Veſtiantur per nos cilicio camelino purpurari Cardinales, & abjectis mitris pelliceâ Zonâ cingantur; non comedant niſi locuſtas *Jeſuitæ*, quos ipſos *locuſtas Apocalypticas* eſſe noſtrates non levi conjecturâ aſſequuntur. Imitentur & Johannem, quem legunt pœnitentiam quidem omnibus, non ſimilem vivendi rationem imperâſſe.

§. XV.

De *Jacobo*, *Petro & Matthæo* dictum eſt ſupra. Nempe fide certa caret traditio, quæ ex Ebionitarum lacunis hauſta eſt. Neque auſi ſunt Montaniſtæ olim ad hæc exempla provocare. At Pauli famem & ſitim, & *Timothei* potum allegabant æquè ac hodierni *Pontificii*, utrique ridiculi, qui in *Timotheo* cauſas medicas & religioſas confundunt. Apoſtolorum interdictum de Idolothytis ſanguine & ſuffocatis *Actor.* 15. huc planè non pertinet. Non erat enim hic vel jejunium vel abſtinentia ab omni carne omnibus Chriſtianis omni loco & certo tempore imperata, multò minus eo fine, ut inſtar *cultus divini* fideles ob-

ligaret; sed consilium Apostolicum] fundatur in charitate Christianâ, ne Judæis conversis, eorum ciborum usu, quibus interdictum erat lege Mosaicâ, offensio præberetur, sed infirmi fratres pari abstinentiâ ad cœtum Christianorum invitarenac in officio tenerentur. Quo fine etiam Timotheum circumtur cidendum curavit Paulus. Colligant jam adversarii, à præcepto temporatio ad perpetuum; à lege quæ valet suppositio scandalo ad legem extra casum scandali. A συγκαταβάσι ad interdictum religiosum. A principio charitatis ad principium Tyrannidis. A scopo conversionis Judæorum ad scopum meriti inter Christianos. Ab Apostolis ὑποτύπωσις ad fallibiles Ecclesiæ Romanæ Doctores. Cogitent etiam adversarii, anne exemplo Apostolorum, si illud imitandum esse censent, infirmitati fidelium consulere, & ex eodem principio charitatis *Interdictum* revocare teneantur.

§ XVI.

Nihil igitur supereſt, quàm ut repetam orthodoxæ veritatis asserta. (1) In loco, quem tractamus, Pontificios apertè depingi. (2) Præeunte Apostolo jejunium Pontificium ad doctrinam Dæmoniorum referendum. (3) Si nullum foret aliud Anti-Christi vestigium in ista secta, has esse sufficientes notas, quæ in textu occurrunt, & palpabiles. Obsignabo has pagellas duorum Patrum effatis, de hac materia: *Augustin. Quæst. Evangelic. lib. 2. cap. 11. pag. m. 340. Christus ostendit, filios sapientiæ intelligere, nec in abstinendo nec in manducando esse justitiam, sed in æquanimitate tolerandi inopiam & in temperantiâ per abundantiam non se corrumpendi, atque opportunè sumendi vel non sumendi ea, quorum non usus sed concupiscentia reprehendenda est. Non enim interest omninò* NB. *quid alimentorum sumas, ut succurras necessitati corporis dummodo congruas in generibus alimentorum his cum quibus tibi vivendum est. Neque quantum sumas multum interest, cum videamus aliorum stomachum citius satiari & eos tamen illi ipsi parvo quo satiantur, ardenter & intolerabiliter & omninò turpiter inhiare. Alios autem pluſculo quidem*

dem ſatiari, ſed tolerabilius inopiam perpeti & vel ante ora poſitas epulas, ſi id in tempore aut opus ſit aut neceſſe ſit, cum tranquillitate, aſpicere neque tangere. Magis ergò intereſt, non quid vel quantum alimentorum pro congruentia hominum atque perſonæ ſuæ & pro ſuæ valeditudinis neceſſitate quis capiat: ſed quantâ facilitate atque ſerenitate animi careat, cum his vel oportet vel etiam neceſſe eſt carere; ut illud in animo Chriſtiani compleat, quod Apoſtolus dicit: Phil. 4. ſcio & minus habere, ſcio & abundare in omnibus, & in omnibus imbutus ſum, & ſatiari & eſurire, & abundare & penuriam pati. Omnia poſſum in eo, qui me confortat. Et illud, neque ſi manducaverimus, abundabimus; neque ſi non manducaverimus, egebimus. Et illud, non eſt enim regnum DEI eſca & potus, ſed juſtitia & pax & gaudium. Chryſoſtom. in not. ad Nov. Teſt. & 1. Tim. 4. pag. m. 476. *Ne, inquit, igitur mireris, ſi modo quidam à fide diſcentes, adhuc judaicâ ſuperſtitione detinentur. Tempus erit, cum hi qui fidei participes ſunt, iſtud majore cum execratione facient, cum non modò ad cibos usque perniciosum conſilium inferent, verum nuptias quoque & hujusmodi cuncta damnabunt. Non de Judæis hæc dicit: quo enim pacto locum haberet, quod ſequitur: In noviſſimis temporibus? & illudi item: Recedent quidam à fide?* Hactenus ille, cujus vaticinium in Romana Eccleſia completum eſſe quis tandem negabit?

TANTUM.

Προσθέσεις *Reſpondentis.*

I.

IN προευαγγελίῳ Geneſ. 14. v. 15. paucis verbis licèt ferè ænigmaticis, ſumma Articulorum fidei fundamentalium continetur.

II.

Pellicea Adami tunica myſteria involvit non minora, quàm variegata Aaronis ſtola.

III. In

III.

In nomine Evæ altius reconditum est mysterium, quàm vulgò evolvitur; Messias ibi prædicitur ex muliere nasciturus.

IV.

קניתי איש את יהוה Gen. IV, 1. luculentum est de Messia θεανθρώπῳ testimonium. Dubium nihilominus est an ipsum Kainum Eva habuerit pro Messia.

V.

Omnes SS. Trinitatis Personas Abrahamo apparuisse Gen. XVIII. non temere crediderunt ex veteribus Ambrosius, Augustinus, Paschasius aliique citati *Forbesio Instruct. Histor. Theol. lib. IV. cap. 1.*

VI.

Dari homines in Luna aliisque sideribus opinio est Lunatica, cui refragatur Scriptura, nec suffragatur Natura.

VII.

Ἔχοντες μόρφωσιν εὐσεβείας, τὴν δὲ δύναμιν αὐτῆς ἠρνημένοι 2. Tim. III. v. 5. verti debere: *Habentis delineationem pietatis* (in Scriptura) *potentiam autem ejus* (perfectionem ad omnes usus Theologicos) *negantes*, salvô doctiorum judiciô, cum *Coccejo* existimo; ut notentur Pontificii Scripturam imperfectionis arguentes.

VIII.

Reconciliationem cum Ecclesia Romana fieri posse & debere qui contendunt, aut subdoli sunt aut simplices.

IX.

Quare in plerisque Systematis Theologiæ, sola pars Dogmatica tractatur, Morali excluså?

MANTISSA.

CUm forte in manus noſtras inciderit ſcriptum Jeſuitæ Dez, cui titulus: la Reunion des Proteſtans à Strasbourg à l' Egliſe Romaine, cujus in eo etiam verſatur labor, ut artic. 5. abuſ. p. 406. ſeq. interdictum carnis defendat, operæ pretium eſt, ejus *effugia* ad examen revocare, allatis ejus verbis, & ad §. ſingulas notis ſubinde additis.

Du choix, & de la diſtinction des viandes,

LEs Catholiques & les Proteſtans de Strasbourg conviennent 1. que c' eſt une doctrine de démon (a) *defendre l' uſage de certaines viandes, comme ſi elles eſtoient impures d' elles meme, & que le diable en fut le createur.*

(a) *Videtis ergo multùm intereſſe inter abſtinentes à cibis, propter ſacratam ſignificationem vel propter corporis caſtigationem; & abſtinentes à cibis, quos DEUS creavit, dicendo quod eos DEUS non creavit. Poinde illa doctrina eſt Prophetarum & Apoſtolorum, hæc Dæmoniorum mendaciloquorum. Auguſt. lib. 30. contra Fauſtum.*

Ad §. I.

NOn verò hoc tantum aſſerunt Evangelici, ſed præterea quoque contendunt, eos fovere doctrinam Dæmoniorum, qui in abſtinentiâ à carne cultum divinum *ſimpliciter* collocant, licet cœteroquin negent Diabolum eſſe creatorem certi generis ciborum. *Auguſtinus* ad quem provocat *Jeſuita* lib. 30. contra Fauſtum Manichæum de *abſtinentiâ à cibis*, id eſt de vero jejunio loquitur, non autem de ſola abſtinentiâ à carne; nam & à vino abſtinentiam inculcat, quô tamen Jeſuitæ ſatis liberaliter utuntur, & â *fructibus*, quibus veſci tamen Jeſuitæ permittunt. Et notatu dignum eſt, Auguſtinum eodem loco, quem

allégat Jesuita, Manichæis obiicere prohibitionẽm cõjugii tanquam doctrinam Dæmoniorum, ita ut simul hodiernos Pontificios feriat; imò & eodem loco libertatem non abstinendi fidelibus clarè indulget, quam tamen tollunt Pontificii.

2. *Qu'au rapport* (b) *de Tertullien, de* (c) *S. Jerôme, de* (d) *S. Augustin. de* (e) *S. Chrysostome & de plusieurs autres, c'estoit la l'heresie des Marcionites, des Encratites, & des Manichens, qui ne reconnoissants pas Dieu, comme le createur de toutes choses, ordonnient pour toûjours à leurs disciples de s'abstenir des viandes, dont ils croient le diable auteur.*

(b) *Prædamnans jam hæreticos abstinentiam perpetuam præcepturos ad destruenda & despicienda opera Creatoris. Quales inveniam apud Marcionem, apud Tatianum, &c. Tertul. in lib. de jejunio. c. 15.* (c) *Marcionem designat, & Tatianum & cæteros hæreticos, qui abstinentiam indicunt perpetuam ad destruenda & contemnenda, & abominanda opera Creatoris. Hieron. in 2. lib. adversus Jovinian. tractans locum Apost. 1. ad Timot. c. 4. 1.* (d) *Vide supra lit. A.* (d) *Vide supra. pag. 362. lit. b.*

Ad §. II.

Hæreticos, quos recenset, non invidemus consortio Pontificiorum, negamus verò Patres allegatos Apostoli locum de illis tantùm explicuisse; Contrarium è locis supra allegatis patet in ipsa disputatione. Et quid memorat Jesuita *Hieronymum* expressè dicentem non tantum Marcionem & Tatianum sed reliquos etiam hæreticos notari, qui abstinentiam indicunt ad contemnenda & abominanda opera creatoris; Hoc autem faciunt Pontificii. Annon enim contemnitur, quod impuritatis accusatur? annon abominandum est, quod inquinat hominem?

3. *Que comme on peut* (f) *manger pour le Seigneur, selon S. Paul, on peut aussi pour de luy s'abstenir de manger; que le jeûne est recommande* (g) *dans l'Ecriture, qu'il a este pratiqué par toute l'ancienne Eglise.*

(f) 1. *ad Cor. c. 10. 31.* (g) *Joel. 2. Matth. 6. & 9. ubiq; passim.* Ad

Ad §. III.

Paulus, ad quem provocat, Jesuitæ contradicit eo ipso loco, I. Corinth. 10. v. 29. Jejunium verum Christianum non improbamus, sed abstinentia à solâ carne non est verum jejunium.

4. *Que les Chrétiens ne sont point obligez de garder les céremonies légales, les défenses que les Juifs avoient de boire & de manger en certains temps & de certaines choses, de toucher un mort, d'observer toutes leurs festes, leurs nouvelles lunes, & leurs jours de Sabbat; qu'ils avoient tort de s'en faire autrefois un scrupule, & que comme cette question avoit troublé l'Eglise & inquieté bien des fideles, meme du temps des Apostres, il estoit important qu'ils levassent les doutes qu'on avoit sur cela. C'est à quoy S. Paul* (h) *s'est particulierement attache.*

(h) *Paul. ad Coloss. 2. Interprete Hieronymo in Ep. ad Algasiam. c. 10. & alib.*

ad §. IV.

Dum igtur Paulus omne discrimen ciborum sustulit, qui fieri potuit, ut Romana Ecclesia neglectâ Scripturâ libertati Christianæ vim inferret, & Judaismo portam postliminiò aperiret. Vera Ecclesia nec Paulo Coloss. 2. contradicit, nec libertatem Christianam constringit. Quæ ita se gerit secta, falsitatem ac hæresin imò διδασκαλίαν τῶν δαιμονίων prodit,

5. *Que quoy qu'on ne fut plus oblige d'obeir à la Synagogue, on n'estoit pas pour ce la dispense d'orbeir à l'Eglise, quelque rapport qu'il y eut entre les ordonnances que l'on etablissoit & celles qu'on vouloit abolir. On estoit le Sabbat: l'on etablissoit le Dimanche: on ne devoit plus celebrer la Pasque ni la Pentecoste des Juifs, mais on estoit oblige de celebrer la Pentecoste & la Pasque des Chretiens. Le Sacerdoce, selon l'ordre d'Aaron, avoit cesse, mais le Sacerdoce, selon l'ordre de Melchisedech, avoit commencé pour ne cesser jamais. Les Sacremens de la loy nouvelle avoient succede aux Sacramens de l'ancienne loy: & quoy qu'on eut leve toute l'impurete legale, qui empechoit les Juifs de manger certaines viandes, les Apostres ne laisserent pas de commender* (i) *qu'on s'abstint de manger du sang & des viandes etouffées.*

(i) *Vi-*

(i) *Visum est Spiritui Sancto & nobis nihil ultra imponere vobis oneris, quàm hæc necessaria, ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, & sanguine & suffocato, &c. Act. 15, 28. 29.*

ad §. V.

Nihil ad rhombum est, quod memorat autor: Sabbathum judaicum & dies dominicus non sunt unum & idem. Festa Judaica & Christiana non tantum fine ceremoniis, sed & objecto differunt. Sacramenta V. T. in Novo locum non habent; quæ si quis revocare ad usum vellet, anathema incurreret, ut patet exemplo circumcisionis. Cur igitur discrimen ciborum, quod sublatum est in Nov. Test., ad usum revocant Pontificii? cur non morem gerunt Apostolo *Coloss.* 2. *v.* 16. ad locum Actor. 15. v. 28. 29. responsum est supra in ipsa disputatione.

6. Que ce commandement des Apostres montre suffisamment qu'on peut defendre l'usage de certaines viandes pour une bonne fin, comme pour mortifier la chair & ses passions; & toute l'ancienne Eglise a reconnu, qu'elle pouvoit commander des jeûnes, & que les fideles devoient les observer. C'est avec raison, dit Tertullien, (k) *que les Eveques ont coutume d'ordonner des jeûnes à tout le pleuple.* (i) *S. Epiphane & S. Augustin remarquent, qu'une des erreurs de l'heretique Aërius estoit de l'on ne devoit pas s'assujetir à jeûner aux jours ordonnez. Tous les fidéles* (l) *ajoûte S. Basile, écoutent & reçoivent avec joie le précepte de jeûner le careme. Celuy qui ne jeûne pas le careme,* (m) *dit S. Ambroise, est criminel. Nous jeûn nous le careme,* (n) *poursuit S. Jerôme, selon la tradition Apostolique. Ce n'est pas qu'il ne soit permis de jeûner toute l'année hormis la Pentecoste, mais c'est autre chose de jeûner par obligation & de jeûner par devotion. Le temps du jeûne estant venu,* (o) *dit S. Jean Chrysostome, vous aimeriez mieux tout souffrir, que de manger des viandes, qui y sont défenduës. Il n'est donc rien de plus constant dans toute l'anncienne Eglise, que l'usage de jeûner, & de commander des jeûnes.*

(k) *Be-*

(k) *Bene quòd & Epiſcopi univerſa plebi mandare jejunia aſſolent. Tertull. in lib. de Jejun.* (l) *Epiphan. in libro de hæreſibus. hæreſ. 75. Auguſt. in libr. de hæreſib. hæreſ. 53.* (m) *Omnes æqualiter & præceptum audiunt, & cum gaudio ſuſcipiunt. Baſil. loquens de jejun. Quadrageſimæ. orat. 2. de jejunio.* (n) *Quisquis Chriſtianus jejunando non impleverit quadrageſimam, prævaricationis, & contumaciæ reus tenebitur. S. Ambroſ. ſerm. 34.* (o) *Nos unam quadrageſimam ſecundum traditionem Apoſtolorum tempore nobis congruo jejunamus. Non quod per totum annum, excepta Pentecoſte, jejunare non liceat, ſed quod aliud ſit neceſſitate, aliud voluntate munus offerre. Hieronym. in Ep. ad Marcell.* (p) *Homil. 6. ad pop. Antioch.*

ad §. VI.

Falſum eſt in loco allegato Actor. 15. v. 28. Apoſtolos imperaſſe abſtinentiam â ſanguine & ſuffocato in hunc finem, ut carnis illecebras damnarent. Hæc eſt Pontificiorum hypocriſis, quam ideò ſimul notat Apoſtolus 1. Tim. 4. Fruſtra allegat autor loca Patrum de Jejunio. Quid enim abſtinentia â ſola carne ad jejunium? Fruſtra ad *Tertullianum* provocat, qui Montaniſta fuit. Quanquam & locus quem allegat, nobis non contradicit. *Baſilius* quoque non niſi de *vero jejunio* loquitur. *Epiphaninm* forte nec quidem evolvit *Jeſuita*, cum ejus *librum* de hæreſibus citet velut unicum; agit autem de Aërio *lib. 3. p. m.* 908. quem liberè jejunaſſe fatetur. *Aërianos* verò ab hæreſeos notâ purgavit *Danæus*, *Auguſtinus* de hæreſibus cap. 53. de vero jejunio loquitur, non *abſtinentiâ à carne*; imo contra *Epiphanium* producit *Philaſtrium*, qui Aërianis abſtinentiam â carne tribuat. *Ambroſii* locus Serm. 34. eſt ſuppoſititius, quod dudum Chemnitius aliique probarunt, & ſanè cum neget *Jeſuita* jejunium habere vim meriti, tranſigat cum *Ambroſio* id *aſſerente Serm. 34. Hieronymum* Jeſuita non evolvit, cum enim plures ad Marcellam Epiſtolas ſcripſerit, qua quæſo id

 repe-

reperitur, & quid est in istâ allegatione quod causam ipsius juvet? numquid jejunium & abstinentia à carne unum idemque est? *Chrysostomus Homil. VI. ad populum Antioch.* iterum de vero loquitur Jejunio, quod verba ipsa satis indicant: sic enim legitur textus græcus: Οὕτως ἐστὶν ἡ συνήθεια δυνατὸν πρᾶγμα καὶ ἔυκολον ὥστε παρεγενομένης τῆς νηστείας, κἂν μυρία τις ἄγκη καὶ βιάζηται, ὥστε μεταχεῖν ὀινοποσίας, ἢ ἑτέρου τινὸς τ μὴ νενομισμένων ἐν νηστείαις ἀπολύεσθαι, πάντα ἂν ἔλθοι τις παθεῖν τις, ἢ τῆς κεκωλυμένης ἅψασθαι τροφῆς.

POSTULATA.

1. *Les Catholiques demandent sur cela qu'on leur accorde:* I, *qu'on ne peut accuser l'Eglise Romaine sans calomnie de defendre l'usage de certaines viandes dans la vie, qu'elles sont mauvaises d'elles memes, & crees par le diable; puisqu'elle a toûjors condamné ces erreurs dans les heretiques, & qu'il n'y a point de viande, dont l'usage ne soit libre aux fidelles, hors des jours d'abstinence.*

Ad I.

Illud Postulatum est dolosum: Quid enim, si conceditur maximè, Ecclesiam Romanam non habere carnem pro creaturâ Diaboli, an ideò non fovent doctrinam Dæmoniorum? Id verò in totâ disputatione probatum est. Et certè per consequentiam Pontificii carnem impuritatis accusant, quæ cum ad DEUM referri nequeat, ad Diabolum referenda omninò est.

2. *Que les Prophetes & les Apostres ont enseigné le jeûne & l'abstinence de viandes pour mortifier la chair,* (*) *mais que c'est le demon qui enseigne l'abstinence de certaines viandes, dans la vie que Dieu ne les ayant pas crées, elles sont mauvaises.*

(*) *Vide pag.* 406. *lit. A.*

Ad II.

(1) De interdicto carnis quæstio est, & Jesuita semper recurrit ad Jejunium. (2) Non tantum doctrina Dæmoniorum est, ideò prohibere certos cibos, quod impuri judicentur, sed & in istâ abstinentiâ, cultum ponere divinum, & libertatem tollere

tollere Christianam. Hinc & Montanistis vêtères orthodoxi locum 1. Tim. 4. oppoſuêre.

3. *Qu'il faut obeir à l'Egliſe dans les reglemens qu'lla a faits pour les junes & les abſtinences, & pratiquer ces ſortes de mortification pour plaire à Dieu, pour imiter noſtre Seigneur, pour luy marquer qu'on eſt marri de l'avoir offenſé, pour vaincre ſes paſſions, & pour ſe mieux diſpoſer à faire pœnitence de ſes fautes.*

ad III.

Non meretur illa ſecta obedientiam, quæ Apoſtolo contradicit, διδασκαλίαις δαιμονίων adhæret, & manifeſtam Anti-Chriſti notam prodit. Finis ille *mortificationis*, ut vocant, oſtendit hypocriſin. Chriſtum imitari in jenunio nec poſſunt nec debent. Egregia verò ſpecies jejunii, ſi carne abſtineas, piſcibus verò opiparis, aromatibus, fructibus, vino &c. te totum repleas.

4. *Les Proteſtants ont reconnu que ces trois demandes eſtoient juſtes; qu'on avoit decrié mal a propos ſur cet article la doctrine de l'Egliſe Romaine; qu'elle eſtoit conforme a la créance de l'ancienne Egliſe; que les ſaints Peres, qui ſe croioient obligez de jeûner la carême, avoient lû, examiné, & compris ſur cela la doctrire de S. Paul. contre les Juifs, & les hérétiques dont nous avons parlé; que les Catholiques ne croient pas, qu'on merite la juſtification, ni par le jeune, ni par d'autres bonnes œuvres, quoy qu'en les pratiquant on ſe diſpoſe a l'obtenir de la miſericorde du Seigner, & par les ſeuls merites de* Jesu Christ, *& que leur foy par conſequent eſt orthodoxe.*

Ad IV.

Ubi verò ſunt illi Evangelici, ad quos provocat malæ fidei Jeſuita? Falſa narrat, ut ſimplicioribus fucum faciat, quemadmodum & impudenter negat, juxta Eccleſiæ Pontificiæ doctrinam jejunio alliisque bonis operibus viam meritoriam adſcribi. An immemor planè eſt anathematis in *Concilio Tridentino*? Sic illi impoſtores inſtar Protei varias induunt formas, ut fallant incautos irretiantque.